

DE ABBATISSA DIGNITATEM ARCHIDIACONI HABENTE

SUMMARIUM: In Ecclesia etiam laici diverso modo per saecula in exercitio potestatis iurisdictionis partem habebant. In dioecesi Monasteriensi, in Westphalia, octo abbatissae maiorum conventuum, sive monialium, sive canonissarum saecularium, archidiaconi erant in quadam circumscriptione definita. Clericos nominabant et puniebant, synodos archidiaconales peragere curabant, et auctoritas ecclesiastica pro populo illis concredito erant. Nullam potestatem ordinis gerebant, quam per clericum interpositum («commisarium archidiaconalem») exercere solebant. Coniunctae cum forma feudali Ecclesiae Germaniae, tandem perierunt una cum potestate saeculari Ecclesiae, per mutationes rerum politicarum rebellionem Gallicam sequentes.

Ad regendum populum Dei archidiaconi in Ecclesia Occidentis per saecula magni momenti erant. Historia officii archidiaconalis satis investigata est, sive pro ecclesia universali, sive pro ecclesiis particularibus et diocesibus, ubi ille vario modo evolutus est¹. Usque ad saeculum VII archidiaconi «missi auctoritate episcopi» erant pro cura egentium et pro administratione bonorum temporalium Ecclesiae. Postea «vicarii episcopi in omnibus» pro regione aliqua circumscripta erant. A saeculo X usque ad saeculum XIII, auctoritas archidiaconorum semper augebatur. Saepe litigantes cum episcopo, a saeculo XIII vario modo positio archi-

¹ V.g., DDC I, 974 ss; TRE VI, 702 ss.

diaconorum diminuta est, dum crescebat auctoritas episcoporum². Concilium Tridentinum munus episcoporum corroboravit. Ergo archidiaconibus ius visitationis sine concessione episcopi (Sess. XXIV de reform. 3), ius excommunicandi (Sess. XXV de reform. 3), causas matrimoniales ac poenales (Sess. XXIV de reform. 20), et causas contra clericos concubinarios (Sess. XXV de reform. 14) omnino abstulit.

Sed in nonnullis partibus Germaniae, imprimis prope fines cum territoriis sub dominio protestantico, archidiaconi quique propriam auctoritatem servare potuerunt³. In Monasteriensi dioecesi archidiaconatus ex «banno episcopali» ortus est. «Bannus» est terminus ex iure germanico, iurisdictionem significans⁴. Episcopi «bannum» cum vectigaliis annexis tamquam feudum conferebant. Ergo lucrum ex archidiaconatu una cum pondere politico certum, sed nequaquam unicum, momentum erat. Hermannus II, comes de Katzenelnbogen (1174-1230), tamquam ordinarius loci circumscriptionem archidiaconatorum restauravit. Archidiaconatus amplius cum tredecim usque ad viginti et quinque parocciis instituit, eorumque titulares obtinuerunt dignitates et aliquos canonicatus capitulares ecclesiae cathedralis. Cum pluribus archidiaconatibus minoribus, canonicis iterum reservatis, maxima pars dioecesis Monasteriensis capitulo subdita erat. Spectando

² *Officium et titulum archidiaconi per bullam «De salute animarum»* (16.VII.1821) pro regione nostra abrogata sunt.

³ EBERS GODEHARD JOSEPH, *Die Archidiakonalstreitigkeiten in Münster im 16. und 17. Jahrhundert*, in: ZSRG.K III, 24 (1913) 364 ss.

⁴ HILLING NICOLAUS, *Die bischöflicher Banngewalt, der Archipresbyterat und der Archidiakonats in den sächsischen Bistümern*, in: AkR 80 (1900) 80 ss.

positionem politicam et oeconomicam capituli, bene intellegitur cur executio decretorum Concilii Tridentini ibi difficilima fuerit. Episcopi Ernestus (1585-1612) et praecipue Ferdinandus I (1612-1650), ambo ex ducibus Bavariae, et archiepiscopi electores Coloniae, frustra conati sunt decreta Concilii exequi per vicarios generales Ioannem Hartmann, Petrum Nicolartium et Ioannem Vagedes. Lis super archidiaconatum inter episcopum et capitulum causa erat cur Maximilianus Henricus, nepos Ferdinandi I, non electus fuerit in episcopum Monasteriensem. Loco principis ex ducibus Bavariae, capitulum elegit canonicum Christophorum Bernardum de Galen (1650-1678), ex gente magna indigena. Sed novus episcopus magno cum fervore fortiterque decreta Concilii exsequi conatus est. Pro archidiaconibus graviores definitiones Concilii per compromissum pertulit⁵.

Iuxta archidiaconatus capituli cathedralis exsistebant archidiaconatus qui vicario generali (pro arcibus episcopi) vel superioribus conventuum virorum suberant⁶. Adscribuntur etiam octo archidiaconatus abbatissarum. Hoc mirum videtur, quia ius canonicum pro archidiaconibus saltem ordinationem diaconalem exigebat. Sed in dioecesi Monasteriensi ordinatione diaconalis pro viris ad ordinationem subdiaconalem degradabatur⁷. Ex altera parte, plures abbatissae Europae, praecipue in partibus veteris Saxoniae, iurisdic-

⁵ EBERS GODEHARD JOSEPH, *op. cit.* (adn. 3), 410 ss.

⁶ Conventus virorum cum archidiaconatu in Monasteriensi dioecesi erant: Cappenberg (O. Praem.), Clarholz (O. Cist), Liesborn (OSB), Marienfeld (O. Cist) et Varlar (O. Praem).

⁷ HILLING NICOLAUS, *Die Entstehungsgeschichte der Münsterschen Archidiakonate*, in: WZ 60 (1902) 13 ss.

tionem quasi-episcopalem habebant⁸. Hic iam invenimus abbatissas tamquam archidiaconos sub episcopo dioecesano. Certe, aspectus feudi iterum momentum habet. Episcopus Monasteriensis simul princeps Sacri Romani Imperii erat. Capitulum ecclesiae cathedralis primus ordo erat in dieta («Landtag»), antecedens ordinem equitum et ordinem civitatum⁹. Sed, ut mihi videtur, archidiaconi — canonici, abbates, priores et abbatissae — officium traditum non solum saeculare sed etiam ecclesiasticum¹⁰ intellegebant, manente scilicet exemplo administrationis deterioris. In visitatione episcopali anni 1571 conventibus canonissarum quaestio ponebatur: «Utrum domina abbatissa habeat archidiaconatum?»¹¹. Haec est etiam quaestio nostra, quam breviter persequimur pro his octo conventibus mulierum Monasteriensis diocesis.

1. Asbeck

Wernerus, Episcopus Monasteriensis inter annos 1132 et 1141, monasterium duplex apud Asbeck fundavit. Episcopi et nobiles de Wettringen conventui S.

⁸ FÜRSTENBERG MICHAEL de, *Exempla iurisdictionis mulierum in Germania septentrionali-orientali*, in: Periodica 73 (1984) 89 ss; Idem, *Kirchliche Jurisdiktion einiger Äbtissinnen im altsächsischen Raum*, in: Katholische Bildung 86 (1985) 531 ss.

⁹ HILLING NICOLAUS, *Die Entstehungsgeschichte*, op. cit. (adn. 7), 86 ss. KOHL WILHELM, *Das freiweltliche Damenstift Freckenhorst* (GermSac NF 10, Bistum Münster 3). Berlin 1975, 102 s.

¹⁰ In ordinibus liturgicis Freckenhorstensibus saepius sermo est de «Clerisey beiderley geschlechts» (de clericis utriusque sexus); KOHL WILHELM, op. cit. (adn. 9) 152, 155.

¹¹ HILLING NICOLAUS, *Die Entstehungsgeschichte*, op. cit. (adn. 7) 87.

Margaritae bona dederunt, qui paulatim mutabatur in conventum canonissarum. Sixtus V, anno 1480, canonissis habitum novum concessit. Eodem anno superiorissa titulum decanae, et anno 1498 decana Sophia de Vrydach titulum abbatissae accepit. Superiorissa Asbeckensis archidiaconatum in conventu, et ab anno 1173 etiam decaniam in Legden obtinuit¹². Anno 1786 abbatissa Maria Catharina L.B. de Galen ex Ermelinghoff, archidiaconissa in conventu Asbeck et in Legden erat. Commissarius archidiaconalis abbatissae erat Joannes Ferdinandus Todt, canonicus et parochus in Borghorst. Archidiaconatus in paroecia Asbeckensi non spectabat ad abbatissam, sed ad Iodocum Hermannum zur Mühlen, canonicum cathedralis veteris S. Pauli («alter Dom») Monasteriensis et archidiaconum in Laer, Schöppingen et Eggenrode cum «promotore archidiaconali» (non «commissario») Henrico Suttmöhler¹³.

2. Borghorst

«Coenobium sanctimonialium Burchurst», die 28.VI.974, ab imperatore Othone II protectioni archiepiscopi Magdeburgensis traditum est. Monasteriensis episcopus solummodo invitante abbatissa accedere poterat ad dandum velum sanctimonialibus, ad consecrandam ecclesiam vel sacellum et ad ordinandos sacerdotes. Anno 1131 Innocentius II, anno 1316 archiepiscopus Magdeburgensis et anno 1545 imperator

¹² *Ibid.* 66.

¹³ Mihi videtur utile in omnibus casibus nostris dare nomina et tituli unius anni, sequendo annuarium officiale principatus et diocesis Monasteriensis: *Hochstifts Münsterischer Hof- und Adreß-Kalender für das Jahr 1786*. Münster (1785), Vreden 1985.

Carolus V, privilegia confirmaverunt. Ex mandato Summi Pontificis episcopus Monasteriensis, cum abbatibus ex Hardehausen et Marienfeld, anno 1233 conventum in Borghorst visitavit. Abbatisa Luitgarda de Steinfurt anno 1311 tres canonissas suspensione puniebat. Archiepiscopus Magdeburgensis anno 1318 Beatricem de Bentheim abbatissam nominavit, sed successit eidem Demodis de Grafschaft per electionem consuetam. Postea Borghorst sub iurisdictione episcopi Monasteriensis erat. Abbatisa archidiaconissa pro clericis et laicis in immunitate conventus erat. Custodiebat ecclesiam et providebat ordini liturgico, nominationi parochi, necnon investiturae aliorum clericorum et suspensioni eorum. Investitura clericorum ab abbatisa, eaque absente, per praepositam nomine abbatisae fiebat verbis istis: «Te, N.N., per indutum superpelliceum investimus et instituimus». Anno 1786 abbatissa Anna Carolina L.B. Droste de Vischering archidiaconissa erat. Parochus Ioannes Franciscus Todt commissarius archidiaconalis in immunitate erat, «soweit die Freyheit reicht»¹⁴. In paroecia Borghorstensis archidiaconus erat canonicus cathedralis Fridericus Carolus L.B. de Fürstenberg, cum commissario archidiaconali Adolpho Cordes.

3. Freckenhorst

Initio saeculi IX, vir nobilis Everword et uxor eius Geva, conventum in Freckenhorst fundaverunt, et filia eorum Thiatildis fuit prima abbatisa. Commemoratio

¹⁴ WEINING RICHARD, *Das freiweltlich-adelige Fräuleinsstift Borchorst*, Steinfurt (1920) 42 ss, 46; DARPE FRANZ, *Güter- und Einkünfte-Verzeichnisse der Stifter Langenhorst, Metelen, Borchorst...* (Cod. trad. Westfalicarum 7) Münster 1914, 89 ss.

prima archidiaconatus iam existentis invenitur anno 1223, propter litem inter abbatissam et capitulum cathedralis. Honorius III tres iudices nominabat ad rem iudicandam. Sed duos post annos causa nondum finita erat. Ergo anno 1225, praepositi Andreas de Cappenberg, Radolphus de Oelinghausen et Thomas de Soest, mandatum receperunt ut causam finirent. Abbatissa litem superasse videtur, quia postea sine dubio archidiaconissa «ecclesiae sancte crucis» erat. In «libro aureo» Freckenhorstensi, circiter anno 1330 a canonico Bruno conscripto, sermo est de collatione decani per abbatissam et de eius confirmatione per episcopum, a quo «recipiat bannum sive claves ecclesiae»¹⁵. Postea autem de hoc nihil invenimus; abbatissa commissarium archidiaconalem pro conventu et magna paroecia rurali libere nominavit. «Synodus archidiaconalis» tamquam dies iudicii ecclesiastici quotannis tempore quadragesimae celebratur. Interiit synodus saeculo XVI, quia abbatissa Agnes, comitissa de Limburg-Styrum, rationem lutheranam et postea anabaptistas Monasterienses, etiam post expulsionem de civitate anno 1535, protexit. Post perturbationem anabaptistarum synodus archidiaconalis convocabatur. Archivium abbatae saecularis Freckenhorstensis protocolla synodalia ab anno 1575 usque ad annum 1799 conservat. Celebratur synodus secundum ordinem episcopi Christophori Bernardi de Galen die 10.III.1675. Ordo celebrandi synodum, populus de fine synodi moneatur. Ad primam vesperam diei synodi campanae sollemniter pulsabantur. Tempore officii matutini populus per «triplex signum» campanarum convocabatur. Deinde cum omnibus campanis

¹⁵ HILLING NICOLAUS, *Die Entstehungsgeschichte*, op. cit. (adn. 7), 87.

sacrum de Spiritu Sancto annuntiabatur. Missa ista hora nona sollemniter celebrabatur. Pulsabantur organa non obstante tempore quadragesimae. Deinde archidiaconus (abbatissa ipsa?), vel commissarius, vel parochus christifideles de peccatis commissis admonebat. Oratione «Adsumus» peracta, synodus incipiebat¹⁶. Anno 1786, abbatissa Francisca Lucia L.B. de Korff ex Harkotten et Störmede, archidionissa erat. Commissarius archidiaconalis erat Henricus Clusmann, decanus capituli et parochus in Freckenhorst. Per decretum diei 7. III. 1805 gubernium regni Borussiae iurisdictionem archidiaconalem conventui canonissarum, ipsum saecularizando, abstulit, et episcopo Monasteriensi tamquam Ordinario loci tradidit.

4. *Langenhorst*

In regione inculta — usque ad annum 1355 «equi silvestri» in terra conventus commemorantur — nobilis Franco de Wettringen, cum concessione Henrici Leonis ducis Saxoniae, anno 1178 conventum Langenhorst fundavit. Fundatus secundum ordinem Sancti Augustini, conventus postea commutabatur in conventum saecularem et nobilem canonissarum («freiweltliches adeliges Damenstift»). Henrico Leoni deiecto, episcopus Monasteriensis Hermannus II, anno 1183, «patronatus et protectionis tutamen» accepit. Summus Pontifex, anno 1189, priorissae in Langenhorst ius ad liberam electionem advocati contulit. Episcopus Monasteriensis ius ad confirmandam electionem priorissae habuit. Ecclesia paroecialis incorporata erat conventui, ubi

¹⁶ KOHL WILHELM, *op. cit.* (adn. 9), 101 ss.

priorissa archidiaconissa erat. Anno 1203 priorissa etiam bannum in paroeciis Ochtrup et Wettringen obtinuit¹⁷. Fortasse translatio banni episcopo adiumentum erat ad reprimendam positionem alius «dominae» in regionibus istis. Imperator Ludovicus Pius, iam anno 836, Rheine et Wettringen abbatissae Herfordensis donavit. Uti ecclesia exempta, Herford hic frustra conatus est constituere circumscriptionem alteram, exemptam a dioecesano episcopo, et Sanctae Sedis nullo medio subiectam. Sed denique abbatissa Herfordensis solummodo retinuit ius patronatus, alternative cum comitibus de Bentheim¹⁸. Anno 1576 priorissa et archidiaconissa, alias «Mater» vel «Frouwe», titulum abbatissae accepit. Anno 1786 abbatissa Clara Francisca, comitissa de Merveldt, archidiaconissa in Langenhorst, Ochtrup et Wettringen erat. Commissarius archidiaconalis erat Ioannes Franciscus Todt, parochus in Borghorst, quem iam invenimus tamquam commissarium abbatissae in Asbeck et Borghorst.

5. Metelen

Anno 889, Arnulphus rex confirmavit fundationem conventus SS. Cornelii et Cypriani per dominam nobilem Friduwi. Desunt documenta episcopi conferentis archidiaconatum. Fortasse abbatia imperialis Metelen archidiaconatum in paroeciis Metelen et Welbergen per consuetudinem gerebat. Initio saeculi XIII episcopus abbatissae archidiaconatum confir-

¹⁷ WUB III, 17; DARPE FRANZ, *op. cit.* (adn. 14), 1 ss.

¹⁸ *Inventar des fürstlichen Archivs Burgsteinfurt A. Münster* (1971) Urk. 84, Nr. 1107.

mavit. Postea auctoritas episcopi Monasteriensis in Metelen crescebat. Fortasse reprimere voluit evolutionem ad exemptionem a iurisdictione episcopi, sicut facta est in aliis abbatiis imperii, v. g. in Elten, Essen, Gandersheim, Herford et Quedlinburg. Cum facultate Summi Pontificis abbatissa Ioanna, comitissa de Rietberg, anno 1532 habitum ordinis S. Augustini («dat swarte Rochel») deposuit; Metelen fiebat conventus saecularis canonissarum¹⁹. Anno 1786 abbatisa Maria Theresia L.B. de Kerckerinck ex Stapel, archidiaconissa in Metelen et Welbergen erat. Commissarius archidiaconalis abbatisae erat Bernardus Antonius Forkenbeck. Ille pariter commissarius erat canonici scholastici ecclesiae cathedralis Ioannis Matthii de Landsberg-Erwitte, archidiaconi in Warendorf et Milte, necnon canonici Clementis Augusti L.B. de Korff-Schmising ex Tatenhausen, archidiaconi in Lüdinghausen, Amelsbüren, Hoetmar et Senden.

6. Nottuln

Circiter anno 800 S. Ludgerus, primus episcopus Monasteriensis, conventum in Nottuln fundavit, cum sorore eius Herburga tamquam prima abbatissa. Post restaurationem archidiaconatorum per synodum dioecesanum anno 1193, episcopus Hermannus II de Katzenelnbogen anno 1195 abbatisae dignitatem archidiaconi tradidit, «quoniam ecclesia Nutlonensis multis grauaminibus subiacebat». Episcopus archidiaconatum verbis sequentibus exposuit:

*«Nouerint itaque fideles Christi, quod nostri iuris ban-
num super iam dictam ecclesiam abbatisse et conuentui loci*

¹⁹ DARPE FRANZ, *op. cit.* (adn. 14), 41 ss.

illius ea libertate assignauimus, ut ab omni Jure decanali uacantes, per quam uoluerint personam synodos faciat decenter celebrare»²⁰.

Postea archidiaconatui abbatissae paroeciae Appelhülsen et Schapdetten adscriptae sunt. Sicut abbatiae Langenhorst et Metelen, etiam Nottuln anno 1493 a regula S. Augustini in conventum saecularem et nobilem immutabatur. Anno 1786 abbatissa Ursula Sophia de Ascheberg ex Venne archidiaconissa erat. Commissarius archidiaconalis erat Bernardus Hölscher, qui eodem tempore erat commissarius archidiaconalis decani ecclesiae cathedralis Constantini Ernesti de Droste-Hülshoff, canonici custodis ecclesiae cathedralis Engelberti de Wrede ex Melschede, vicedomini Goswini Antonii de Spiegel-Desenberg et Canstein, necnon canonicorum Francisci L.B. de Fürstenberg, vicarii generalis in spiritualibus, Ferdinandi Ludovici ab Horst et Ferdinandi de Wenge.

7. Überwasser

Ante annum 1040 Hermannus I (1032-1040), episcopus Monasteriensis, in civitate sua conventum canonissarum fundavit. Propter situm trans rivum Aa, conventus nomen habuit «S. Maria trans aquas», seu vulgata appellatione «Überwasser». Sanctimoniales ab anno 1483 usque ad annum 1534 et definite ab anno 1617, regulam S. Benedicti sub congregatione Bursfeldensi acceperunt. Abbatissa S. Mariae trans aquas archidiaconissa erat in paroeciis S. Mariae trans aquas Monasteriensis, Nienberge, Holthausen et

²⁰ ERHARD HEINRICH AUGUST, *Codex diplomaticus historiae Westfaliae II*, Münster 1847, 239.

Neede. Ius investitionis et depositionis cleri habuit, et synodum archidiaconalem celebrandam curavit per decanum suum. In funere abbatisae capitulum ecclesiae cathedralis participare debuit, quia abbatisa capitulo par esse iudicabatur. Documentum capituli ex saeculo XV abbatisam consorem («Mitschwester») commemorat. Pompae funebriae, miro modo etiam episcopi diocesani defuncti, ius ad migrandum per circumscriptionem abbatisae, sine concessione eiusdem abbatisae non habebant. Iulius II, die 12.VII.1508, ius abbatisae ad nominandum decanum confirmavit. Incipiebat lis cum vicario generali episcopi, quando abbatisa capellanum Rudolphum Oerlich amovit. Synodus etiam tum celebrata est, sed iudicium synodi («Sendgericht») pessime frequentabatur a populo. Propter penuriam monacharum ex gente nobili, Clemens XII die 21.IV.1766 abbatisae concessit ius sumendi novitias ex familiis etiam non nobilibus²¹. Impellente vicario generali Francisco L.B. de Fürstenberg, Clemens XIII anno 1773 suppressionem monasterii trans aquas concessit. Bona temporalia ad erigendam universitatem Monasteriensem applicata fuerunt. Archidiaconatus ab ultima abbatisa, Ioanna Nepomucena L.B. de Trautenberg, ad decanum S. Mariae trans aquas, Carolum de Vogelius, pervenit. Sed iam anno 1786 tamquam archidiaconum trans aquas «Die Universitätskommission» (commissionem universitatis) invenimus.

8. Vreden

Conventus canonissarum apud Vreden anno 836, a gente Widukindi ducis fundatus, usque ad finem

²¹ SCHULZE R., *Das adelige Damenstift und die Pfarre Liebfrauen (Überwasser) zu Münster*, Münster 1926, 21 s, 166, 177.

saeculi XII monasterium liberum imperii erat. Abbatissae et canonissae Vredenses usque ad finem conventus semper ex familiis dynasticis ortae sunt. Loco regis, archiepiscopus Coloniensis pensionem regalem ab abbatissa accepit. «Conservator iurium» conventus erat, cum iure investitionis abbatissae. Sub eius iurisdictione, et non sub iurisdictione episcopi Monasteriensis, abbatissa Vredensis dignitatem archidiaconi habebat in immunitate Vredensi, cum ecclesia abbatiali S. Felicitatis et cum ecclesia SS Mariae et Georgii. Tempore definito etiam in civitate Vredensi archidiaconissa sub episcopo Monasteriensi erat, sed postea laici cives extra immunitatem abbatiae archidiacono ex capitulo ecclesiae cathedralis subiecti erant. Statuta Vredensia anni 1483 de abbatissa dicunt:

«Item domina abbatissa habet plenam correctionem, suspensionem et privationem canonissarum, canonicorum et curatorum in excessibus corrigendis ac correctionem ad alias personas in emunitate habitantes et exsistentes» ²².

Ius abbatissae ad suspensionem cleri variis exemplis probatum est. Capellanus et officialis abbatissae, anno 1781, nuntio apostolico scripsit abbatissam esse caput ecclesiarum in Vreden cum iure investiturae parochorum, vicariorum et beneficiariorum. Ius archidiaconale haberet pro laicis in immunitate et pro clericis in civitate. Abbatissa Maria Theresia, Comitissa de Waldburg-Zeil-Wurzach, die 14. VII. 1785 nominatim mandavit ne darentur libri, regesta et claves

²² HILLING NICOLAUS, *Die Entstehungsgeschichte* op. cit. (adn. 7) 70; TENHAGEN, *Friedrich, Gesammelte Abhandlungen zur Vredener Geschichte*, Vreden 1975, 93 ss.

archidiacono Monasteriensi. Ille visitationem in archidiaconatu abbatissae peragere conabatur²³. Annuarium Monasteriense anni 1786, sub voce «Vreden», nihil loquitur de abbatissa, sed solummodo de archidiacono capituli ecclesiae cathedralis, Engelberto de Wrede ex Melschede. Abbatissa adhuc archidiaconissa sub Archiepiscopo Coloniensis erat.

Etiam si fontes non uberrimi videntur et res maiori studio indiget, satis nobis videtur illustrasse quomodo in definita diocesi Germaniae laici, immo mulieres, archidiaconi sub ordinario loci exstiterint. Partes archidiaconatorum abbatissarum parvae erant, continentes usque ad 4 paroecias. Potestatem ordinis abbatissae numquam petebant, sed per commissarium archidiaconalem eam exercere curabant. Commissarii archidiaconales sacerdotes erant, decani vel parochi. Fungebantur etiam pro canonicis Ecclesiae cathedralis, qui propter alia officia in dioecesi et principatu Monasteriensi impediti erant ab exercendo officio archidiaconali²⁴. Abbatissae simul erant dominae feudi et beneficii ecclesiastici. Sed per nominationem commissarii et cleri idonei, per synodum archidiaconalem, per ordines liturgicos, sustentationem scholarum et curam egentium et aegrotorum intererant in cura animarum²⁵. Ex voluntate Concilii Tridentini, et

²³ TENHAGEN FRIEDRICH, *op. cit.* 102.

²⁴ Archidiaconi iura delegare poterant. PFAB JOSEF, *Die rechtliche Stellung der Archidiakone von Gars*, in: *Ecclesia et Ius* (Festschrift Audomar Scheuermann), München 1980, 59.

²⁵ In sermone populi nundinae traditionales etiam hodie «Send» nuncupantur, quod deducitur de voce «synodus». Vredenses abbatissae v.g., adiuvabant fratribus ordinis S. Francisci, qui secreto modo curam animarum exercebant in Hollandia. Ultima

propter effectum diminuentem archidiaconatus virorum et mulierum in diocesi Monasteriensi, interierunt simul cum regno saeculari ecclesiae Sacri Romani Imperii. Sed officium archidiaconi per saecula in Ecclesia exsistebat; ergo considerandum est tamquam «officium perpetuum» ad exercendam potestatem ordinariam²⁶. Si autem hoc valet pro archidiaconis viris, archidiaconissas²⁷ mulieres excludere non possumus.

Concilium Vaticanum II de vicariis episcopalibus loquitur, eosque comprehendit CIC 1983. Officium novum est in Ecclesia; sed sub aliquo aspectu revocat in mentem munus archidiaconorum temporis acti, tametsi officium vicarii episcopalis hodie secundum CIC 1983, c. 478, cum sacerdotio coniunctum est²⁸.

MICHAEL DE FÜRSTENBERG

abbatissa Vredensis, Maria Theresia de Waldburg-Zeil-Wurzach, considerabatur a populo tamquam mater pauperum et aegrotorum. Educationem christianam promovit et exemplum pietatis dabat. Omnibus diebus dominicis et praescriptis corpus Domini sumebat. (UEFFING WERNER), *Die Stiftskirche St. Felicitas zu Vreden* (Vreden 1985), 34.

²⁶ «... was auf eine potestas seu iurisdictio ordinaria schliessen lässt». PFAB JOSEF, *op. cit.* in adn. 24, 59.

²⁷ Abbatissae titulum «archidiaconissa» habebant, uti apparet v.g. in tabula visionis S. Crucis in Freckenhorst, data «Rmae. et perstmae. Dmnae. D. Hedwigi Christianae a Korff, Praenobilis liberi, saecularis Collegii in Freckenhorst Abbatissae, ibidemq. Archidiaconissae ...». (Freckenhorst, in curia olim abbatiali, nunc proprietate Comitum de Westerholt), et in campana BMV Freckenhorstensis, quam 1646 «Abbatissa et Archidiaconissa» Claudia Seraphica, Comitissa de Wolkenstein-Rodeneck, ecclesiae suae dedit. HELMERT FRIEDRICH, *Glockengeschichte des Kreises Warendorf*, in: *Studia Westfalica* (Festschrift Alois Schroer), Münster (1972) 102.

²⁸ PFAB JOSEF, *op. cit.* (adn. 24), 59 s.